



consequenter, quod columnae illae ideo sine cessatione flent, quia homines, qui semper flere deberent et Christi passionem et sua propria peccata et calamitatem hujus miseriae, gaudent et rident. Et si homines a risu intemperato abstinerent lapides lacrymas non funderent. Alii simplices in bona fide de his columnis dicunt, quod Christo patiente Maria virgo dolore repleta, sola flens, sic has columnas est affata: non est, inquit, quod doleat mecum, et tantum pondus amaritudinis sola sufferre quomodo possum? Vos ergo lapides mecum flete. His dictis aquis stillare coeperunt. De his columnis forte dicitur Sap. II.: data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro. Et Habac. II.: lapides de pariete clamabunt. Et Job. 9.: qui commovet terram, concutiet columnas ejus. Ea, quae supra dixi de columnis, audivi a devotis et simplicibus catholicis, et a muliereculis devotis, quarum nolo spernere pietatem, nec abjicere devotionem. Scio autem bene, quod ea, quae operatione naturae fieri possunt, non sunt ascribenda miraculis; est enim certa species lapidis, in genere marmorum, emdros appellatur, de qua semper aqua stillat, ubicunque in aedificio fuerit locatus, quia ex frigidissima ejus complexione aërem circumstantem incrassando transmutat in aquam, quasi in habentibus aptitudinem faciles transitus aquae in aërem subtiliando, et aëris in aquam inspissando, quo fit, ut aërem aquam factum et petrae circumpositam naturaliter per guttas desudet a petra decidens. Unde simile dicitur Constantinopoli in veteri palatio, ubi in quodam habitaculo sunt conchae marmoreae de simili lapide, quae per se ipsas aqua replentur, et dum evacuantur, iterum, nullo homine faciente, replentur. Quod vulgus stupet, tenens pro miraculo, quod tamen naturaliter fit. Sic credo esse istas columnas emdronicas, naturaliter madentes et sudantes.

In eadem capella est una lapidea concha in muro, juxta altare pro aqua benedicta imponenda, quae jam semper est vacua et sine aqua benedicta. In hanc concham dum homo caput ponit et auscultat, audit quasi stridentes ignium flammam et strepitum, quasi decursum aquarum multarum, praecipue tamen, quando homo solus est in capella, et haec audire cupit,

309

307

313

303

318

298

358

258

408

208

Ende

Anfang